



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 129. Cui incumbat onus probandi conditionem servilem cognitam esse velignoratam, ut Matrimonium contractum inter servum & liberum validum vel irritum declaretur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



præfente casu reperitur in tali contractu, & talis contracturus non fuisset, si veritatem scivisset. Sed quid, si scivisset servitutem per ipsum matrimonium tolli, quid eum deteruisset ab eo, nisi forte turpe existimasset etiam illum ducere, quæ antea antea serva fuisset.

*Quæst. 128. Quo jure error conditionis irritet matrimonium.*

**1. R** Esp. In hoc quoque non convenire AA. Juri naturali, vel saltem juri gentium adscribunt Sylv. v. matrimonium. 6. q. 1. Angles. in florib. 4. sentent. p. 1. super dist. 36. quæst. de error. condit. n. 1. du. 1. apud Laym. l. c. n. 3. qui & ipse in hanc sententiam inclinare videtur, & probabilem satis dicunt Sanch. n. 15. Castrop. n. 2. idque (quod spectare videtur jus naturale) ob rationes adductas; nimirum quia status servilis repugnat bonis & fini matrimonii, secus, ac contingit in leprosis, bannitis, relegatis, qui etsi & ipsi liberè nequeant vacare usui matrimonii, id tamen contingat per accidens. Ad hæc, sacris canonibus videatur hoc impedimentum non de novo inductum, sed quod antea receptum erat, approbatum sit, ita ut, quod ait Laym. non sine verisimilitudine dici possit, errore illo servilis conditionis jure gentium infirmari matrimonium.

**2.** E contra quamvis juri naturali valde conforme sit, ut talis error dirimat matrimonium, non esse tamen hoc jure irritum, sed solo jure ecclesiastico, quamvis antiquissimo irritatum, sentiunt Sanch. l. c. n. 16. Gutt. l. c. n. 1. Con. du. 2. concl. 1. Castrop. n. 3. Pirh. l. c. n. 8. quam sententiam inter AA. magis receptam, ait Laym. Ratio hujus sententiæ est, quod quamvis contrahens ex errore servitutis aliquo modo & secundum quid involuntariè contrahat, in quantum si conditionem servilem præficeret, non contraheret (uti etiam accidit in errore circa qualitates alias) simpliciter tamen & absolutè talis contractus sit voluntarius; quia simpliciter in hanc determinatam personam consentit, adeoque est verus & validus contractus, spectato solo jure naturæ. Ad hæc ex jure naturæ provenire nequit dicta irritatio, quia talis error obstat bonis matrimonii; cum alias etiam servitus non ignorata redderet matrimonium irritum; neque quia per deceptionem illam facta injuria homini libero; cum deceptio illa non sit facta in substantia contractus, quæ consistit in mutua traditione corporum ad usum conjugalem, quæ etiam in contractu liberi cum servo reperitur, licet traditio illa facta à servo non sit ita plena ac expedita, sicut facta à libero; non enim exinde destruitur essentia matrimonii, ut quæ solum requirit, ut conjux alteri reddat debitum, individuum cohabitaret &c. quoties legitime impeditus non fuerit, uti hæc patent in matrimonio sani cum leprosa; quod tamen simile, ait Laym. juxta dicta ab eo ante, non tenere; cum servitus per se sit status quidam stabilem obligationem continens, quæ obligationi matrimoniali suapte natura non parum detrahit. Qualem obligationem stabilem usui matrimoniali contrariam, quia non continent alia qualitates, sed tantum per accidens, cum usum non impediunt, errorque circa illas sit varius & multiplex, non fuerit expeditus, passim matrimonium ex eo errore irritari. Ex quibus jam etiam infertur juxta priorem sententiam, ut rectè Laym. dicendum matrimonium inter infideles contractum ex errore conditionis servilis irritum esse, & posse deceptum, dum errorem cognovit, ad alias nuptias transire. Contrarium verò dicendum, si solo jure ecclesiastico irritarentur

illa matrimonia, utpote cui infideles non subjeti. Pirh. l. c. n. 9.

*Quæst. 129. Cui incumbat onus probandi conditionem servilem cognitam esse vel ignoratam, ut matrimonium contractum inter servum & liberam validum vel irritum declaretur.*

**R** Esp. Probabilius videri id onus incumbere mancipio. Sanch. L. 7. d. 19. n. 8. Gutt. c. 90. n. 14. Castrop. n. 8. Pirh. l. c. n. 13. cum Abb. in c. fin. de conjug. servor. n. 6. Jo. And. ibid. n. 3. Butrio. n. 6. &c. contra Henriq. L. 11. de mat. c. 10. n. 5. Ratio est, quod cum jure ipso irritum sit tale matrimonium ob inæqualitatem contrahentium, ut dictum, allegans hanc inæqualitatem, habeat suam intentionem de nullitate matrimonii in ipsa lege fundatam, à quo dimoveri nequit, nisi probetur, liberè & cum scientia dictæ inæqualitatis contraxisse. Ad hæc, scientia alieni facti nunquam præsumitur, sed potius ignorantia. Reg. præsumitur ignorantia. de reg. jur. in 6. L. varius ff. de probat. Mascard. concl. 1214. n. 5. adeoque cum præsumptio ignorantie servitutis sit pro libero (nisi forte tempore contractus fuisset in loco, in quo servitus conjugis omnibus nota) mancipio incumbit probatio scientiæ; ita ferè Castrop. Sed neque semper alleganti ignorantiam incumbit probatio, ut Masc. de prob. vol. 2. concl. 279. sed tantum, ubi illa ignorantia non præsumitur.

*Quæst. 130. An cessante hoc errore servilis conditionis, si liber sciens servam cum ea contrahat; vel etiam dum liber contrahit cum libera, quam putat esse servam, valeat matrimonium.*

**1. R** Esp. Ad primum: esse hoc matrimonium validum non minus, quam cum servus cum serva contrahit; quia cessat deceptio facta libero, & præsumptio consensûs involuntarii, ob quæ matrimonium liberi cum serva irritatur, Laym. n. 3. Castrop. n. 9. Sanch. L. 7. d. 19. n. 13. juxta c. 2. de conjug. servor. Unde si qui textus contrarium habere videantur, intelligendi, supposito errore, seu ignorantia dictæ conditionis; quin & addit Castrop. cum Sanch. n. 14. & Gutt. n. 24. nullum committi peccatum contrahendo cum serva; quia id nullibi prohibetur, tamen si fiat irregularis arg. textûs in c. si quis viduam. dist. 34.

**2.** Resp. Ad secundum: pari modo valere matrimonium in eo casu; error siquidem conditionis servilis tunc tantum vitiat matrimonium, quando per illum redditur deterior conditio contrahentis, uti fit, cum quis contrahit cum serva putans esse liberam; non verò dum contrahit cum libera, quam putat esse servam; unde etiam, dum servus contrahit cum ancilla, quam putat esse liberam, valet matrimonium; cum conditio servi contrahentis non fiat per hoc deterior; quia contrahit cum aequali seu suæ conditionis; ita Pirh. l. c. n. 6. cum Sanch. l. c. n. 23. & aliis.

De cæteris impedimentis matrimonii dirimentibus agit in sequentibus specialibus titulis hujus Lib. 4. ad quos quoque commodius referuntur impedimenta dirimentia cætera, quæ propriis carent titulis, & hic omissa, puta impedimentum atatis ad tit. 2. impedimentum criminis ad tit. 7. impedimentum ligaminis ad tit. 21.

TITU-